

§. 45.

Exempla vegetationis campestris ac collinae, quamquam supra nonnulla attulimus, pauca addere lubet, ut comparatio vegetationis sylvaticae eo magis appareat. *Phleum pratense* β . *nodosum*; *Poa alpina* γ .; *Poa bulbosa* L. (an autem varietas sit *P. alpinae*, incertum est. Certe *vivipara* in alpinis aliter sese habet). *Poa pratensis* β . γ . δ .; *Poa nemoralis* β . *glauca* et forte *cæsia* z). *Myosotis collina* et *stricta*. *Asperugo procumbens* var. *minima* a). *Luzula spi-*

z) *P. glaucam* et *cæsiam* in rupibus siccissimis abbreviatis atque strictas ad *P. nemoralem* pertinere, fere persvasum mihi habeo, nisi etiam *Poa angustifolia* ejusdem sit speciei. Certe *Poa serotina* e Lapponia confluit cum *P. nemorali*. *Poa glauca* et *cæsia* in ipsis rupibus; *P. serotina* sub rupibus solo pinguido; *P. nemoralis* in umbrosissimis, obveniunt; alia forma, quae maxime caespitosa in pratis; rursus alia flosculis jam quinquefloris ad ripas fluvionum, quae omnium maxima est, nascuntur; alia in pratis inundatis foliis setaceis, flosculis bifloris; alia in petris siccissimis, flosculis minutissimis, bifloris etc. Locis pinguidis atque umbrosis plumae acutae; siccissimis obtusae observantur.

a) Caule pollicari, simplicissimo, erecto, foliis omnibus lanceolato-oblongis, in petiolum decurrentibus. Flosculi in summitate caulis inconspicui. Hab. in collis siccissimis Lappon. Tornensis ad Karesuando. Quamquam forma haec fugacior sit utpote siccitate orta, tamen major inter hanc et *Asp. procumbentem*, in hortis luxuriantem, distantia, quam inter *Myosotid. strictam*, *collinam* et *arvensem*, quae a loco aperte pendere videntur. Itaque mirabar, cum vidissem,